



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Hilarion Abbus. 21. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

21. Octob. VITÆ SANCTORUM. 657  
Puduit vinci à virgine, & latere jam no-  
luit, si talem se feminá proderet. Abje-  
ctus proinde in preces oravit; si celo  
placeret etiam virum in pugnam prodi-  
re, vellet, juberet, eo in loco fontem  
enasci. sanguinem se daturum, si aquam  
spelunca. Et dedit hæc aquam, sed quæ  
CAPRASIO cruentam sitim accendit.  
Hanc ut poneret, in urbem & in thea-  
trum ad tyrannum properare, & jam pa-  
lâm ostendere, non frustra tamdiu in  
pulvere privato exercuisse sese; denique  
non modò inter omnia tormenta sibi  
constare, sed & longè plurimos alios in  
eamdem sententiam pertrahere, quibus-  
cum omnibus capite ultimò truncatus  
effecit, ut exiguus aquæ fons in flumina  
sanguinis excresceret. *Ex Surio.*

*Ad evitandas diabolice pugna mole-  
stias audenter assurgimus, si necessitatis ul-  
time periculum providè pertractemus, Nam  
si repentinus ille atque terribiles adventus  
Christi perpenditur, quid erit in mundo,  
ubi mens humana vel desipiens delectetur?*  
S. Pet. Dam. l. 7. ep. 19.

S. HILARION ABBUS. 21. Octobris.

Multum puer HILARION in ludo  
literario, plus apud D. Antonium  
in religiosâ scholâ profecit. Itaque anno  
ætatis XV. celesti philosophiâ jam ple-  
nus, jamque vates, pectora hominum  
T t inspe-



638 VITÆ SANCTORUM. 21. Octob.  
inspexit, absentia & longè post futura  
multò antè vidit. Mox magister etiam  
ipse sanctioris sapientiæ, fidei dogmata  
multos, multos mundi contemptum e-  
docuit. A sellum suum (ita corpus fami-  
liari convitio appellitabat) calci rantem  
non hordeo (ut ipse dicere solebat) sed  
paleis sustentabat, hoc est, fame, siti, labo-  
re edomabat. Latrones vim meditantes  
inferre viro, cælum errore viarum abdu-  
ctos, totâ nocte delusit. Ipse quoque da-  
monum ludibria non semel impunè ti-  
sit; quin Plutonium quandoque cum cur-  
ru suo per terræ hiatus ad inferos redire  
compulit, irridendum etiam suis tunc  
puto, utpote sine Proserpinâ, quam spe-  
ra verat, reducem. Iam sapius ex huma-  
no domicilio eundem proscripsit, non  
ita tamen, quin virginem gravibus ver-  
bis castigaret obsidione jam liberam,  
quòd pro pudore non excubans aditum  
dæmoni Amori fecisset. Porro terram  
triennio sitientem pluviâ beatâ recreavit.  
Cruce serpentum morsus exarmavit.  
Draconem coëgit structum rogam con-  
scendere, & suapte sponte victimam igni  
se dare. Talis tamen ac tantus mori ti-  
muit, & moriturus animam suam ita al-  
loqui est auditus, *Quid egredi anima, quid  
times? septuaginta ipsos annos Christo me-  
res, & mori times? Audi hæc orbis: Hi-  
larionis timent mori. Nos, ah! quali mor-  
bo? risu emorimur. Ex D. Hieron.*

Va



21. Octob. VITÆ SANCTORUM. 659

Vae hominibus iniustis, vae impudentibus, vae deliciis & voluptates sectantibus, vae superbis. In ipso enim mortis articulo & angustiis inferni suo periculo discent Dei timore nihil esse præstantius. S. Ephrem de Vita spirituali.

S. MALCHUS CONF. 21. Octob.

**N**ON latuit MALCHUM thesaurum esse virginitatem, tot prædonibus quot oculis expositum. Quare ut in tuto hunc collocaret, secum in silvas exportavit. Sed, eheu! non sola in silvis Diana, etiam Venus venatur. Et vide sis teterrima hujus reia. Emoritur Malchi pater, & ficta pietas orbam solari matrem suadet. Clamat vitæ sanctioris Doctor, impietatem esse ipsissimam, alienam mortem suâ delugere, & ut funus comitaretur, funus velle fieri. Si mundo mortuus esset, quid illi cum vivâ matre? si Deo viveret, quid cum mortuo patre foret? Sed surdo fabulam. Abit è latibulis suis virginitas, peritura, nisi in latrones incidisset. Hi in servitutum abducunt, & ne fugere possit, molestissimâ compede, uxore onerant. Conclamabunt hic alii. Sed noverint sic vexatam revixisse virtutem. Secura etiam in thalamo jacuit, & per conjugii larvam diu Venerem risit illibata virginitas. Quod tamen rectius fugiendo quam

T. 2. pugnan-